Caput I.

De Turnebi et Victorii editionum auctoritate.

Veterum Aeschyli editionum, Aldinae, Robortellianae, Turnebianae et Victorianae, quod Wellauerus Praef. p. VI. summam auctoritatem et praestantiam esse dicit, id vix dici potest quantopere a veritate abhorreat quantumque Aeschylo nocuerit. Atque de Aldi quidem et Robortelli editionibus postea disputabitur; Turnebus autem, quem Victorius plerumque ita sequitur, ut eius caussa ab illius iudicatione seiungi nequeat, quanta temeritate et audacia in poetae verba grassatus sit, hoc capite demonstrare conabor. Is enim quum tres tantum fabulas, ut ipse fatetur in praefatione graeca, codicis alicuius adiumento usus ederet, (quas fabulas Prometheum, Septem et Persas fuisse facile intelligitur,) ad reliquarum emendationem nihil auxilii habebat praeter depravatissimae Aldinae exemplar, in cuius vitiis tollendis saepe miro modo se torsit. Non negandum est, haud paucis locis sagacitate eius veram scripturam esse inventam atque restitutam; pluribus tamen corruptis poetae verbis graviora etiam vulnera inflixit posterioresque editores, qui eius editionem codicis usu niti putarent, saepe in fraudem induxit et veram emendandi viam obstruxit atque interclusit, id quod Wellauero saepe accidit. Cf. ad v. 354. 404. 675. 598. al.

Iam ut de huius editionis indole facilius iudicari possit, gravissimas scripturas nullo alio libro traditas in genera quaedam distribuam, et primum quidem ea significabo, ex quibus maxime apparet, quantopere Turnebus ex Aldo pendeat. Ex Aldinae vitiis male correctis haec originem traxerunt, quae leguntur v. 15. 43. 47. 61. 66. 116. 156. 194. 212. 259. 261. 269. 314. 317. 382. 387. 428. 444. 450. 466. 598. 638. 648. 655. 659. 675. 694. 756. 759. 767. 772. 793. 807. 823. 832. 848. 856. 860. 872. 873. 917. 978. 1008. 1026. 1041. 1058.

Horum exemplorum indolem, in quorum enumeratione ea praetermisi, ubi Turnebus ipsa Aldinae menda in suum librum transtulit, si quis consideraverit et perpenderit, non amplius dubitabit, quid de illius editionis praestantia statuendum videatur. Etenim praeter Aldinam editorem nullo libro quum hanc fabulam ederet usum esse facile intelliget. Nam omnibus fere his locis Turnebum id egisse patet, ut ex lectionibus sive potius corruptelis Aldinis, quae saepe ne graeca quidem verba exhibent, aliquem certe sensum erueret ac saltem vocabula graeca in textu poneret. Idem cadit in multa alia exempla, ubi quanquam Aldinae vestigia minus manifesta sunt, coniecturas tamen a Turnebo in verborum continuationem receptas esse patet, quibus aut metrum restitueret aut sententiam adiuvaret. Con-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

iecturis autem eas quas infra versuum numeris significabo lectiones niti ex eo intelligitur, quod semper mutandi caussae afferri possunt; quae quum minime in occulto iaceant, ne libelli ambitum sine fructu augeam, silentio praetermittendae videntur. Maxime autem ex ipsa lectionum indole origo satis aperte perspicitur. Antiqui enim libri saepe aliquid praebent, quod aut omni sensu careat aut metrum pessumdet aut ne graeci quidem vocabuli speciem habeat. Turnebianae autem lectiones saepissime ita comparatae sunt, ut, quamvis primo adspectu illis scripturis praestare videantur, tamen re accuratius considerata falsissimae inveniantur et a genuino scribendi genere, quod nonnunquam leni admissa mutatione ex antiquiorum librorum corruptelis restitui potest, longius etiam absint. Eiusmodi exempla invenies v. 83. 104. 136. 139. 153. 160. 195. 196. 263. 317. 354. 381. 423. 430. 481. 505. 542. 548. 599. 679. 774. 790. 827. 830. 884. 885. 886. 888. 897. 952. 965. 1027. 1038. 1054.

Neque exigua est eorum locorum copia, in quibus Turnebus falsa quadam ratione ductus a vera Aldinae reliquorumque librorumque scriptura discessit, multoque peiora scribendi genera invexit; id quod his versibus factum videtur v. 85. 109. 132. 186. 201. 202. 333. 371. 390. 554. 592. 680. 710. (νῦν) 719. 844. 788. 825. 835. 845. 869. 901. 916. 968. 990.

Habes insignem versuum multitudinem, ubi T. manifestas coniecturas exhibet. Quae lectiones si ex codice aliquo essent desumptae, in eum idem quod de T. dixi caderet et habere eum aperta correctoris vestigia censendus esset. At dicat quispiam esse aliquot exempla, ubi scripturas praebeat aut verissimas aut certe tales, ut nulla mutandi ratio appareat, ideoque fieri posse, ut Turnebus etiam codicis alicuius auxilio fuerit adiutus. Cuiusmodi opinioni ut occurratur, iam eos locos indicabo, ubi T. scriptura mala est et, quum ab antiquiorum auctoritate librorum recedat, tamen nulla facile mutationis caussa perspicitur. Quorum quidem numerus exemplorum adeo est exiguus, ut contra illorum multitudinem nihil valeat, praesertim quum pleraque admodum levia sint errorique tribuenda videantur: v. 3. 99. 126. 357. 375. 853. 899. 943.

Nec maiorem vim ad T. fidem defendendam ea exempla habent, ubi haec editio prima id quod verum videtur exhibet. Quominus enim huic rei multum tribuamus, impedimur eo, quod omnes eius generis varietates ita sunt comparatae, ut emendatio admodum facilis fuerit. Quare his ipsis uti licet ad id quod de T. diximus comprobandum. Etenim mirum profecto esset, si Turnebus plerosque fabulae versus corruptos tentans nunquam verum invenisset, ne ibi quidem, ubi quisque vel mediocriter graece doctus genuinam scripturam eruere poterat. Cuius generis haec exempla habeto: v. 2. 4. 129. (ἀχείματον). 223. 251. 252. 262. 267. 297. 324. 362. 395. (καὶ om.). 412. 442. 454. 490. 496. 505. 550. 605. 617. 673. 674. 692. 698. 701. 713. 728. 751. 781. 806. 831. 919. 922. 937. (εὔθυμον).

His igitur versibus Turnebi operam Aeschylo salutarem fuisse eiusque ingenio veras

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

scripturas deberi puto. Poteram nonnulla alia exempla addere, ubi abiecto ν ephelcystico metro consuluit. Sed pluribus etiam idem emendandi genus numeris nocuit, quum editor omnibus locis illam litteram expellere, etiam ubi necessaria esset, in animum induxisset.

Iam ad aliud emendationum Turnebianarum genus accedo. Exstat enim magnus exemplorum numerus, ubi quum ne hodie quidem malae eius coniecturae e verborum contextu eiectae sint, poeta etiamnum vulneribus, quae editor iste ei inflixit, laborat. Quorum partem quidem Wellauerus sustulit revocatis meliorum librorum scripturis; sed tamen is quoque non perspecta huius editionis indole multos locos emendandos reliquit. Nam pariter atque priores editores veri quadam specie deceptus iusto cupidius id quod apud Turnebum erat arripuit cum maximo poetae detrimento. Quare quum ista editio nullam prorsus auctoritatem habeat, semper ubi sola aliquid praebet, de ipsarum lectionum pretio quaerendum est. Quod si fecerimus, de multis versibus, ubi nunc lectio Turnebiana probari solet, iure dubitabimus.

Ut igitur ex hac disputatione aliquid utilitatis in poetam redundet, eos locos, qui a Turnebo depravati aut infeliciter tentati emendatione indigent, tractabo et, si fieri potest, quid poeta scripserit ostendam. Ex qua disputatione simul apparebit, cuius generis pleraeque sint editores illius emendationes. V. 16. *τῆς οἰστροδόνου*, quod nunc ex T. coniectura vulgatur, quum antiquiores libri fere omnes *οἰστροδόμου* habeant, haud male quidem inventum est et confirmatur vocabulo *οἰστροδόνητος* v. 568. Sed tamen quum o et α litterae in Aeschyli libris saepe confusae inter se sint, videndum est an poeta *οἰστροδάμου* scripserit.

V. 19. *τίνα γοῦν*. M. *τίναι οὖν*. reliqui libri *τίνα οὖν*. Quum sententiarum nexus non restrictivam, sed consecutivam particulam requirat, Turnebianae emendationi longe praestare videtur Burgessiana *τίν' ἂν οὖν*, in qua etiam *ἂν* particula percommode ad rectam enuntiationis formam addita est.

V. 75. *στυγοῦντες*, pro quo quum a Wellauero ex reliquis libris *στύγοντες* afferri vidissem, Aeschylum *στέγοντες* (arcentes) posuisse coniiciebam. Quod quidem vocabulum etiam Sept. c. Theb. v. 1000, ubi nonnulli libri pro *εἴργων στυγῶν* habent, restituendum est, quum *εἴργων* illud nihil sit nisi explicatio verbi *στέγων*. Cf. Schol. ad Suppl. 128. *ἅλα στέγων*] *τὴν θάλασσαν εἴργων*. Sed quum *στύγοντες* istud vitium typographicum editionis Butlerianae esse intellexissem, Wellaueri negligentia propagatum, (antiqui enim libri *στυγόντες* exhibent, certe M. R. A.), illam emendationem prorsus inutilem esse sensi; nam antiqua lectio, a T. perperam mutata, vel propterea praeferenda videtur, quod aoristi participium *δόντες* praecedit nec ulla temporis mutandi ratio apparet. Similiter v. 523. *ὕβριν εὖ στυγήσας* legitur. In secundi autem aoristi forma nemo, puto, offendet, quum Homerus Od. X, 113. et Il. XVII. 694. *ἔστυγε* dixerit.

V. 183. *τεθυμένος* omni fide ab libris caret, qui *τεθειμένος* praebent, in quo aliud quid latet. Verba, quae Sept. v. 79. leguntur, *μεθεῖται στρατὸς στρατόπεδον λιπών*,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

comparanti probabile fit, poetam *μεθειμένος* dedisse. Quanquam ipse huic coniecturae non multum tribuo.

V. 256. *τῶνδ' ἔτ ἐπὶ τάδε κρατῶ,* quod aperte ex Aldina scriptura a. T. derivatum est, vel propter insolitam syliabae finalis vocis *τάδε* productionem ferri nequit; deinde *ἔτ'* illud nec quid hoc loco significet intelligo, et iusta auctoritate caret. Nam Aldinam editionem, qua nititur, exigui pretii librum esse Wellauerumque ei immerito magnam fidem tribuisse suo loco demonstrabitur. Meliorum librorum scripturas si comparamus, facile illud verum esse intelligimus, quod iam alii invenerunt, *τῶνδε τἀπὶ τάδε κρατῶ.*

V. 259. pro *Χώρας γὰρ ἐλθὼν Ἄπις ἐκ Ναυπακτίας,* quod ex Aldino glossemate *Ἄπις γὰρ ἐλθὼν ἐκ χώρας Ναυπακτίας* ductum esse patet, ex libris fide dignioribus *Ἄπις γὰρ ἐλθὼν ἐκ πέρας Ναυπακτίας* revocandum est; nam istud vel propter verborum collocationem tolerari nequit. Quum enim rex id agat, ut nominis *Ἀπία* originem aperiat, *Ἄπις* nomen, in quo vis totius sententiae inest, in principio enuntiati poni est consentaneum. *Πέρα* est antiquum substantivum, cuius generis poeta in hac fabula studiosissimus fuit. Cf. Haupt ad Suppl. p. 134. 5. Significat terram trans mare sitam. Ceterum hoc substantivum Goettlingius etiam Hesiod. Theog. 274. invenisse sibi visus est.

V. 302. *τί οὖν ἔτευξεν ἄλλο δυσπότμῳ βοῦ;* Meliores libri *τί οὖν ἔτευξε δ' ἄλλο δ. β.;* quod Wellauerus interrogationis signo post *οὖν* posito iure praeferendum iudicavit.

V. 312. *Λιβύη μέγιστον τῆςδε γῆς καρπουμένη. Τῆςδε,* quod ab antiquioribus libris abest, ne ferri quidem videtur posse, quum, quoties Aeschylus in hac fabula *ἥδε γῆ* sive *ἥδε χθών* dixit, his verbis semper Argivorum terram significaverit. Cf. v. 181. 248. 261. 289. 320. al. Quae vox exciderit, nemo facile nisi meliorum codicum auxilio adiutus dicat.

V. 332. *τίς δ' ἂν φίλους ὠνοῖτο τοὺς κεκτημένους. ὠνοῖτο* verbum interpretes mirifice vexavit. De vitio monere poterat A. et R. (fortasse etiam codicum) scriptura *ὤνοιτο,* qua magnopere confirmatur egregia Bambergeri coniectura *ὄνοιτο.* Ceterum cum eodem etiam *φιλοῦσ'* scribendum est, ad quod verbum spectat *οὕτως* in versu proximo, qui, nisi hanc quoque mutationem admiseris, nullo omnino sententiae vinculo cum hoc coniunctus est.

V. 356. ante Wellauerum *σὺ δὲ παρ' ὀψιγόνου μάθε γέρων ὢν* vulgabatur, pro quo vetustiores Turnebo libri *γεραφρόνων* exhibent, quod accentu mutato recipere non dubitavit Wellauerus. Hauptius autem Hermanni et Burgessii, qui *γεραιόφρων* proposuerunt, sententiam probat. Mihi nemo id videtur repperisse, quod probabile sit. *Γεραφρονῶν* enim est vocabulum pessimae notae ac fere monstrum vocabuli, quod non solum exemplis caret, verum etiam, id quod gravius est, analogiae legibus repugnat. Neque inest in *γέρας* senectutis notio. *Γεραιόφρων* autem non satis ad litterarum in libris servatarum similitudinem accedit. Alia caussa, cur in his emendationibus acquiescendum non esse putem, posita est in metro. Quum enim duo priores antistrophi versus accuratissime ad strophae formam compositae sint, ut syllabae syllabis respondeant, etiam in hoc versu eandem numerorum aequabilitatem

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

desidero et hanc dochmiorum formam restituendam censeo: υ ⏑⏑́ — ́ υ υ — ́ υ ⏑⏑́ ⏑⏑́ υ — ́.[a] Quod quum neutro illorum vocabulorum fiat, aliud excogitavi, quod non solum huic postulationi satisfacit, sed etiam duabus litteris additis, quae facile intercidere poterant, ex eo quod in libris est sine ulla violentia effici potest. Puto autem Aeschylum γεραροφρονῶν scripsisse, quod verbum quanquam alibi non videtur exstare, tamen recte fictum est ad similitudinem cum aliorum tum κακοφρονῶν, quo poeta Ag. 1147. usus est. γεραρὸς autem legitur Ag. 704. Suppl. 653. Attamen, ne quid dissimulem, ambigi potest, an γεραρὰ φρονῶν scribendum sit.

V. 395. τύχῃ. Veteres libri τυχθῇ contra metrum et sententiam; quod ex τύχοι ortum est O littera in Θ depravata. Hac quidem emendatione, quae Porsoni debetur, non opus esse dicit Wellauerus; sed quum etiam τύχῃ mera sit T. coniectura, τύχοι autem propius ab antiqua scriptura absit, hoc praeferre nemo dubitabit. Simile est, quod v. 269. pro ἐξεύχοιο A. ἐξεύχθιο habet.

V. 404. pro οἰνωμένον ex melioribus libris, in quibus ὠνωμένων legitur, cum Pors. et Elms. ᾠνωμένον restituendum est.

V. 438—440. inde a T. vulgo sic leguntur:

καὶ χρήμασι[ν] μὲν ἐκ δόμων πορθουμένων
ἄτης γε μείζω, καὶ μέγ' ἐμπλήσας γόμον,
γένοιτ' ἂν ἄλλα κτησίου Διὸς χάριν.

Quae scriptura et sententia caret et ab reliquorum librorum auctoritate abhorret, in quibus ἄτην et γόμου legitur. De his versibus paene desperatis quid alii iudicaverint silentio praetermittens, quid mihi videatur breviter dicam. Revocata enim antiqua scriptura unaque litterula mutata sic scribendum puto:

Καὶ χρήμασιν μὲν ἐκ δόμων πορθουμένων,
ἄτην γε μείζω καὶ μέγ' ἐμπλῆσαι γόμου,
γένοιτ' ἂν ἄλλα κτησίου Διὸς χάριν.

---

a) Quae de metri convenientia dixi, ea impugnare aliquis possit exemplo ex eadem stropha petito. Proximi enim versus vulgo ita leguntur, ut strophicus hanc habeat dochmii formam: — ́ — ́ υ — ́, antistrophicus autem hanc: υ ⏑⏑́ — ́ υ — ́. Verum λευκόστικτον unius Robortellianae auctoritate perquam exigua nititur. Hanc enim editionem ex codice innumeris locis correctoris manum experto descriptam esse alio loco ostendemus. Eiusmodi exemplum hoc est. In ceteris libris est λευκόδικτον, quod non recte in λευκόστικτον emendatum esse plures rationes evincunt. Primum enim hoc otiosum est neque satis aptum epitheton; deinde cur vitula mugire et pastoris auxilium implorare dicatur, nulla ratio apparet; tum responsio, quae illa scriptura efficitur, talis est, qualem Aeschylus non videtur admisisse, cf. Enger de Aesch. ant. resp. p. 52.; denique mutatio ista non satis lenis est. Omnes has difficultates vitaveris, si mecum λυκοδίωκτον (a lupo fugatam) scripseris, quod quin verum sit, minime dubito. Sic igitur v. 346. corrigendus est:

Λυκοδίωκτον ὡς δάμαλιν, ἃ 'ν πέτραις
Ἠλιβάτοισιν ἀλκᾷ πίσυνος μέμυκε.

Vides igitur etiam hoc exemplo confirmari id, quod supra de metro monuimus.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Haec mutatio adeo lenis est, ut, si aptam sententiam efficiat, omnibus emendationibus praeferenda videatur. Ego sic explico: „Et quod ad opes quidem attinet post domorum eversiones Jovis beneficio aliae fortasse contingant, quae vel maius damnum nova copia resarcire vel compensare queant.“ *καὶ* ante *μέγ'*, ut saepe ante *μάλα*, augendi et intendendi vim habet; *ἐμπλῆσαι* infinitivo consilii vel eventus notio adiuncta est, ita ut *ὥστε* cogitatione addi possit. *ἄλλα* sine dubio supplendum est vocabulo *χρήματα*, *χρήμασιν* autem cum *γένοιτ' ἂν* coniungendum est. Ceterum duo alii huius fabulae versus restituto infinitivo pro participio aoristi emendandi sunt, qui postea tractabuntur.

V. 453. *Τύχῃ γυναικῶν ταῦτα συμπρεπῆ πέλει.* *τύχῃ* T. debetur; *τύχαν* M. G. *τύχα* R. *τύχειν* A. *πέλει* unus G.; reliqui, etiam T., *πέλοι*. Quae vulgantur, non intelligo; maxime *τύχῃ* ineptum est, quod non potest de conditione mulierum dictum esse. Ex optimi codicis M. scriptura, ad quam reliqui libri prope accedunt, si unam litteram mutaveris, summa cum probabilitate genuina scriptura refingi potest hunc in modum:

τάχ' ἂν γυναικῶν ταῦτα συμπρεπῆ πέλοι,

quorum verborum haec est sententia: „Videntur haec (*στρόφοι* et *ζῶναι*) ornamenta mulierum esse.“ Aptissima autem videtur orationis forma, qua rex utitur *τάχ' ἂν-πέλοι* dicens. Vestitum enim puellarum a Graeca consuetudine abhorruisse ex v. 231. sqq. intelligimus:

Ποδαπὸν ὅμιλον τόνδ' ἀνέλληνα στόλον,
πέπλοισι βαρβάροισι καὶ πυκνώμασι
χλίοντα, προςφωνοῦμεν; οὐ γὰρ Ἀργολὶς
Ἐσθὴς γυναικῶν, οὐδ' ἀφ' Ἑλλάδος τόπων.

V. 463. *Καὶ πολλαχῆ γε.* Libri *καὶ μὴν πολλαχῆ γε*, ex quo Ahrensius p. 7. facilius *καὶ πολλαχῆ μὴν* emendari posse monuit.

V. 585. *ἐνδικωτέροισι* pro *ἐνδικωτέροισιν* T. scripsit, acerrimus litterae paragogicae exagitator, quam aliis quidem locis posteriores editores revocaverunt. Sed etiam hoc loco necessaria est littera illa, quum in versibus iambico-antispasticis ultimam syllabam longam esse oporteat.

V. 598. *ἓν εἰπὲ δ' ἡμῖν* manifesta est T. coniectura, metri caussa facta, quum A. et G. *ἔνεπε* exhiberent. In optimis codicibus Florentino et Parisiensi *ἑνόσ περ* exstat, in ed. R. *ἔνισπε δ'*, quod quamquam non minus ex coniectura profectum videtur, Turnebiana tamen lectione longe praestabilius est et ab aliis merito receptum. Wellauerus quidem Turnebum, cuius fidei nimium tribuere solet, secutus est, quanquam *ἓν* illud fere ineptum videtur.

V. 668. *Νούσων δ' ἐσμὸς ἀπ' ἀστῶν*
Ἴζοι κράτους ἀτερπής.

quibus verbis respondent haec v. 675.

Εὔφημον δ' ἐπιβοῷεν
Μοῦσαι θεαί τ' ἀοιδοί.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

In altero strophae versu κράτους a Turnebo profectum est, antiquioribus libris omnibus κράτος praebentibus. Longe gravior est in priore antistrophico versu librorum discrepantia, ita quidem, ut duo antiqua scripturae genera discerni queant; quorum alterum ad M. P. et R. pertinens hoc est εὐφήμοις δ' ἐπὶ βωμοῖς; (nam quum ευ et α saepe inter se confundantur, R. fere cum M. congruit), alterum, in quo A. fere cum G. consentit, hoc: εὔφημον δ' ἐπὶ βωμῶν. A. quidem εὔφημαν δ' ἐπιβωμὰν habet, sed hoc ipsum revera nihil aliud est quam quod in G. exstat, quum quoties in A. α, ο et ω litterae inter se permutatae sint dici nequeat. Iam vide mihi, quam improbabilem emendandi viam Turnebus ingressus sit. Primum enim quae in vulgata scriptura obtinet metri ratio:

— — ´ υ υ ´ —
— ´ υ — υ ´ —,

nullo modo tolerari potest. Potius si totius carminis numeros comparamus, quantamque partium singularum aequabilitatem poeta instituerit, consideramus, hoc numerorum genus requiri intelligimus:

— — ´ υ υ ´ —
— — ´ υ υ ´ —

Quod quidem in stropha facillime ex librorum scriptura accentu tantum mutato (κράτος in κρατὸς) restitui potest, qua emendatione etiam sententia adiuvatur, quum T. lectio non facilem habeat explicatum. κρατὸς autem bene tuetur Ahrens p. 27. Multo maiori offensioni est versuum antistrophicorum conditio. ἐπιβοῷεν enim et metro officit et inepte de Musis dictum est, quum nec quid ἐπὶ sibi velit perspici queat, neque βοᾶν Musarum sit. Quod si reputavisset Wellauerus, non probasset Butleri coniecturam εὔφημον δ' ἐπιβώντων. Deinde verba Μοῦσαι θεαί τ' ἀοιδοὶ, quae item metro adversantur, aperte falsa sunt. Vide Ahrens p. 26, qui locum haud improbabiliter sic corrigit:

Εὔφημον δ' ἐπὶ βωμοῖς
μοῦσαν θεῖεν ἀοιδοί.

Eam emendationem perpolivit Hermannus in Jahnii Ann. 1832. T. VI. 1. p. 41., in θεαί τ' latere θείατ' monens; is tamen in eo fallitur, quod εὐφήμοις genuinum putat. Nam εὔφημον minime iusta auctoritate caret; est enim in G. (et A.); εὐφήμοις autem quomodo explicandum sit non video, ita ut antiquus librarii cuiusdam error esse videatur in meliores libros M. P. R. propagatus. Ceterum quum G. et A. in priore versus parte meliorem scripturam servaverint, dubitari possit an ex his etiam βωμῶν recipiendum sit. Quod ego quidem minime probaverim duabus potissimum de caussis. Primum enim nisi βωμοῖς antiquissimam scripturam fuisse statueris, non facile intelligas, qua ratione omnino error ille quem notavi (εὐφήμοις) committi potuerit; deinde dativus aptior videtur, quum inter ἐπὶ βωμῶν et ἐπὶ βωμοῖς id discrimen intersit, ut prius significet „in altaribus", alterum „ad (apud) altaria"; qui sensus hic necessarius est.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

V. 725. ἐπιτυχεῖ κότῳ ex Aldina scriptura ἐπὶ τύχει κότῳ derivatum est; in aliis libris ἐπὶ (vel ἐπεὶ) τάχει κότῳ legitur. Illud, quod nunc vulgatur, sensu molestum iudicat Ahrens p. 6.; nondum enim Aegypti filios finem assecutos esse. Idem ἐπὶ ταχεῖ κότῳ legendum esse vidit, quod „optimum sensum praebet; nam e celeritate itineris Aegyptiadarum animus pugnae cupidus (v. 723) cognosci poterat. ἐπὶ cum dativo rationem et modum indicat cf. 623.“

V. 745. Οὗτοι ταχεῖα ναυτικοῦ στρατοῦ στολὴ,
Οὐδ' ὅρμος, οὐδὲ πεισμάτων σωτηρία
Ἐς γῆν ἐνεγκεῖν κτλ.

De difficillimo hoc loco, quum certa emendatio non sit in promptu, hoc tantum monebo, ταχεῖα στολὴ verba, ut absunt a librorum auctoritate (in iis enim ταχείᾳ-στολῇ legitur), ita ne tolerabilia quidem esse. Repugnat enim sententia, quam haec T'. coniectura efficit, iis quae antea dicta sunt. Sane enim cito Aegyptiacam classem advehi Danaus ipse nuntiaverat v. 699. 704. cf. v. 725. ἔπλευσαν ὧδ' ἐπὶ ταχεῖ κότῳ. Quare revocata antiqua lectione comma post στολὴ delendum est. In proximis autem pro σωτηρία in M. R. A. σωτηρίου legitur, in G. σωτηρίαν, ita ut fortasse σωτήριον legendum et comma in fine alterius versus ponendum sit. Iam haec verba sic interpretor: „Profecto celeri exercitus navalis expeditioni neque portus paratus est, neque funium salus, ut naves in terram trahi possint.“ Attamen quominus hanc coniecturam veram existimem, impedior οὐδ'-οὐδὲ negationibus, pro quibus οὔθ'-οὔτε desidero.

V. 763. ἀμπτᾶσα δ' ὡρεὶ pessima est T. coniectura tum ab librorum scriptura longe discedens tum metrum pessumdans, pro qua quid ex corruptis librorum lectionibus refingendum sit, in eo commentationis capite dicam, ubi de codice Parisiensi disputabo.

V. 776. ἐρημάς metro officit. G. et A. habent ἡρέμας; quod, quum η et κ saepius inter se confundantur, nihil aliud est, quam quod R. praebet κρέμας, quod quin etiam in M. et P. inveniatur, minime dubito, quamquam ex his nihil varietatis enotatum video. Certe ἐρημὰς mera est T. coniectura, in cuius locum sine dubio Robortelli scriptura accentu tantum mutato (κρεμὰς) substituenda est. Etiam in proximo versu γυπιὰς scribatur necesse est. Pro ἀπρόςδεικτος vide ne ἀπρόςστεικτος reponendum sit.

V. 856. περιχριμπτὰ procusum est a T. ex περιχοιμπτά, quod est in A.; reliqui libri περιχαμπτά, quo quid faciam incertus adhuc haereo.

V. 928. ἴσθι τάδ', ἤδη πόλεμον αἱρήσῃ νέον. Duobus huius versus locis T. omnium librorum scripturam mutavit, quae haec est: ἴσθι μὲν τάδ' ἤδη πόλεμον ἐρεισθενέον. Nam quod R. αἱρεῖσθαι νέον habet, hoc ipsum ex emendatione natum est. Initium versus difficillimum est emendatu; μὲν particulam si abiicere licet, scripserim ego εἴσει τάδ', quod non multum abest ab ἴσθι τάδ', quum Θ et Ε litterae saepius inter se permutatae in libris sint et ι ex ει vetere pronuntiandi ratione facile oriri potuerit. In altera autem versus

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

parte pro αἱρήσῃ aperte αἵρεσθαι reponendum est, quod a Porsone inventum non displicet Wellauero. Sed cur ille ἢ 'σται τάδ' ἢ δεῖ πόλεμον scribendum esse statuerit, vix assequare. αἵρεσθαι autem verum esse vel ex his locis intelligitur: v. 337. βαρέα σύ γ' εἶπας, πόλεμον αἵρεσθαι νέον. v. 434. ἢ τοῖσιν ἢ τοῖς πόλεμον αἵρεσθαι μέγαν.

Quod ad verborum structuram attinet, infinitivus offensioni non erit, si verba πόλεμον-νέον pro appositione pronominis τάδε habebis. Cf. Pers. 423. εὖ γὰρ τόδ' ἴσθι, μηδάμ' ἡμέρᾳ μιᾷ πλῆθος τοσουτάριθμον ἀνθρώπων θανεῖν, et 427. εὖ νῦν τόδ' ἴσθι, μηδέπω μεσοῦν κακόν, ubi noli commate post ἴσθι deleto τόδ' ad κακὸν referre, cui rationi verborum collocatio repugnat. — Quae de hoc loco disputavimus, si cui minus satisfaciunt, ei ego aliam emendationem propono hanc:

ἴσθ' ἓν τόδ' ἤδη, πόλεμον αἵρεσθαι νέον,
sive ἴσθ' εὖ τάδ ἤδη, κτλ.

V. 937. εὔθυμόν ἐστιν εὐτυχεῖς ναίειν δόμους. In hoc versu T. tria de suo dedit, εὔθυμον pro εὐθυμεῖν, quod quidem probabiliter factum est, εὐτυχεῖς pro ἐντυχούσῃ et δόμους pro δόμοις, quod in omnibus libris esse Wellauerus non adnotavit. Duas posteriores emendationes minime probo. Primum enim eiusmodi crisis iusto violentior iustaque ratione destituta est; deinde autem εὐτυχεῖς ne aptum quidem videtur, quum enuntiationum duarum deinceps positarum vis insit in vocabulis πολλῶν μετ' ἄλλων et μονορρύθμους. Quid Aeschylus scripserit, difficile est ad dicendum; nam neque εὐτύκους, quod Porson invenit, neque εὐτύχους, quod Passovius videtur legisse, probabile est. Si in omnibus libris non εὐ, sed ἐν syllabam et dativum δόμοις inveniri reputamus, in eam incidimus suspicionem, poetam ἐν.... δόμοις coniunxisse. Quid autem τυχούσῃ verbo faciendum sit, alius videat; mihi veriorem emendandi viam indicasse sufficit.

V. 980. κἄλωρα κωλύουσαν ὡς μένειν ἐρῶ.

Quum in omnibus libris θ' ante ὡς additum sit, eius in emendatione huius versus ratio habenda erit.

V. 1015. Στυγερὸν T. Sed στύγειον M. P. G. A. R., unde fortasse στύγιον reponendum esse recte monet Wellauerus.

V. 1027. φυγάδας δ' ἐπιπνοίας contra metrum et sensum. φυγάδες δ' ἐπιπνοίαι (sic) omnes libri antiquiores praeter R., ubi φυγὰς δ' ἐπιπνοία legitur. Correxerunt φυγάδεσσιν δ', quod verum videtur, quum etiam Pers. 545. Mediceus pro βαρίδεσσιν βαρίδες τε habeat. De altero vocabulo ambigi potest; mihi φυγάδεσσιν δ' ἔπι ποιναί poeta dedisse videtur: „Fugitivis autem poenae instant."

Postquam aperte vitiosas T. mutationes, quae omnes fere editiones occupaverunt, exagitavimus et explosimus, superest, ut de locis quibusdam dicatur, in quibus quae etiamnum vulgantur T. correctiones dubitari potest utrum verae sint an falsae. —

V. 60. ἀηδόνος pro ἀηδονῆς. Sed nescio, an Aeschylus, apud quem, maxime in hac

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

fabula, multa singularia exstant, formam ἀηδονή admiserit. Simile exemplum est v. 832., ubi, quum in omnibus libris ἕδρανα legatur, non sine dubitatione cum Victorio ἕδρανα corrigere audeam.

V. 101. μαινόλιν pro μενόλιν, qua mutatione quominus versum vere emendatum putemus, metri ratione prohibemur.

V. 191. τὰ χρεῖ' ἔπη. v. 549. Λύδια pro λύγια. Sed ne sic quidem metro prospectum est. V. 590. θοάζον, quod Wellauero verum videtur.

V. 627. πυρίφατον pro πυρέφατον. Sed gravius vitium latere perspexit Droysen in Zimmermanni Diar. Ant. Stud. 1841. No. 28., κτίσαι non posse praedicatum esse nominis Ἄρη monens, sed pendere ex μάχλον; praedicatum autem depravatum esse in πυρίφατον. Qui quod ipse coniecit, πυριφαγεῖν, vereor ne rectius πυρὶ φαγεῖν scribatur. Ceterum iam antiquus homo verbum, quod ex μάχλον penderet, desiderasse videtur, quare βοᾶν scripsit, quod, ut in A. et R. exstat, ita etiam in codicibus esse suspicor. Hac data occasione moneo, τὰν ante Πελασγίας minime cum plerisque editoribus eiiciendum esse. Constat enim hic versus ex dochmio duobusque creticis. In antistrophico autem verba πράκτορά τε σκοπόν corrupta esse etiam sententia docet. Primum enim Διὸς σκοπός non potest esse Jovis oculus, quanquam ea est scholiastae opinio. Neque tueri se potest hoc exemplum illo, quod est v. 376., ubi Juppiter ipse ὁ ὑψόθεν σκοπός dicitur. Deinde τε abesse debebat, quoniam alterum epitheton est necessarium, alterum ornans. Denique oculi notio parum convenit vel potius adversatur iis, quae deinceps adduntur: δυσπολέμητον, ὃν τίς ἂν δόμος ἔχοι ἐπ' ὀρόφων μιαίνοντα· βαρὺς δ' ἐφίζει.

Quae si cum his exemplis comparamus:

v. 342. βαρύς γε μέντοι Ζηνὸς ἱκεσίου κότος.
v. 380. μένει τοι Ζηνὸς ἱκταίου κότος κτλ.
v. 473. ὅμως δ' ἀνάγκη Ζηνὸς αἰδεῖσθαι κότον
Ἱκτῆρος· ὕψιστος γὰρ ἐν βροτοῖς φόβος.

dubium esse nequit, quin poeta κότον posuerit.

Huic vocabulo praecedunt litterae ά τε σ, unde nihil facilius nascitur, quam ἄτας, quod ex πράκτορ' pendet. Eam emendationem etiam a Bambergero factam video, qui tamen ἄτης scripsit. Neque longe a vero abfuit Burgessius. —

Redeo ad Turnebi emendationes, ex quibus non certa est ea, qua v. 721. ἐγὼ pro ἐγὼν scripsit. Hoc enim quoniam omnium librorum fide nititur, vereor ne retinendum sit. Usus est ea forma poeta Pers. 895., ubi ut a sequenti vocali excusationem habet, ita hic a collocatione in versus exitu. Praeterea etiam Suppl. v. 104. restituenda videtur, ubi quod in omnibus libris legitur λέγων (A. λεγῶν), id non ex δ' ἐγὼ (quod Engerus p. 72. nexu verborum recte perspecto proposuit), sed ex δ' ἐγών natum esse verisimile est; ita ut totus locus sic emendandus videatur:

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Τοιαῦτα πάθεα μέλεα θρεομένα δ' ἐγὼν
λιγέα βαρέα δακρυοπετῆ,
ἰὴ, ἰὴ, ἰηλέμοισιν ἐμπρεπῆ
ζῶσι γόοις με τιμῶ.

In postremo versu *ζῶσι* pro *ζῶσα* scripsi; nam mortuus nemo se lugere potest, et Aeschylus si eam oppositionem, quam indicavit Bamberger in Zimmerm. Diar. 1839. p. 880, efficere voluisset, videtur *ζῶσαν* scripturus fuisse. De ea vocis *ζῆν* quam statuo notione cf., quos citavit Well. ad Ag. 793. — Ceterum pro *λέγων* ambigi potest an *λέγειν*, quod pendeat ex *μέλεα*, reponendum sit.

V. 810. *πρόξενα* pro *πράξαν*. 822. *ὀλόμεναι*.

Haec de Turnebo satis dicta sunt; cuius editionem in Supplicibus quidem Victorius plerumque secutus est, ita tamen, ut nonnullas lectiones ex Robortelliana reciperet. Propria pauca habet, quae ex coniectura, ut videtur, profecta et partim vera partim minus recte instituta sunt. Quae enumerare omnia quum nec necessarium videatur neque conducibile, unum tantum exemplum tractabo, quod ne nunc quidem satis emendatum puto. V. 160. Victorius *ἐντεύξεται* edidit, pro quo *ἐνεύξεται* M. *ἐν εὔξεται* A. *ἀνεύξεται* R. *ἀνέξεται* T. Probari nunc solet id, quod est in Glasg. *ἐνέξεται*; quae emendatio ut non improbabilis videtur, ita non adeo certa est, ut dubitari non liceat. Quum *ευ* et *α* litterae saepissime inter se permutari soleant, videndum est an poeta *ἐνάξεται* dederit; quod duplicem explicatum habet, ut aut „inducetur" aut „accusabitur" significet. Quod autem mediae formae passivam notionem tribuimus, in eo nemo offendet; cuius rei exempla Euripidea congessit nuper Firnhaber in libro de vers. Eurip. iniuria suspectis. Cf. Well. ad Choeph. 303. Aeschylo unam eius generis formam hanc nactus opportunitatem restituam. Ag. v. 164. in plerisque libris est *οὐδὲν λέξαι πρὶν ὤν*, quod quum metro adversaretur, Schuetzius *οὐδὲν ἂν λέξαι πρὶν ὢν* emendavit, idque plerique probaverunt. Sed ne sic quidem metro satis prospectum est, quum quarta ab initio syllaba brevis esse debeat. Nam si plures huius generis versus — ´ υ — υ — υ — in unum systema coniunguntur, syllaba anceps locum habere nequit. Atque in reliquis illius carminis versibus poeta semper brevem syllabam servavit. Quum igitur in quibusdam libris *οὐδὲν τι πλέξαι* legatur, *οὔτι λέξεται πρὶν ὢν* ab Aeschylo scriptum fuisse suspicor. In Supplicum autem versu vide ne graviore medela opus sit, ita ut *ἐλέγξεται* scribatur. Hoc non ita multum distat ab *ἐνεύξεται*, quum *N* et *Λ* litterae saepius confundantur. Sic v. 1002. *μένος* in omnibus libris legitur pro *μέλος*. 903. *μάλ'* M. R. *μάν* G. A. 381. *δυσπαρθενήτοις* P. pro *δυσπαρθέλκτοις*.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf